



7,2<sup>a</sup>

4,12

2.9.0.

13

ORATIO.  
**CAROLO.XII.**

REGI. SVECORUM.  
INVICTISSIMO.

OB.LIBERATAM. AB. OBSIDIONE. NARVAM.  
ET. REPORTATAM. A. MOSCIS.

VICTORIAM.

DICTA.

JOSIA. HENRICO. OPITIO.  
HENRICI. FILIO.

IPSO. DIE. CAROLO. IN. FASTIS.  
SACRO.  
A. clo lo ccl.

---

KILONI.

LITERIS. BARTHOLDI REUTERI. ACAD. TYPOGR.

OBRA  
CAROLO. XII.  
SVECORUM. GOTHORUM. VANDALORUMQUE. REGI.  
INVICTISSIMO. MOSCORUM. TRIUMPHATORI. LIVONIÆ. LIBERA-  
TORI. PIO. FORTI. FELICI. QVOD. SERVATA. PRÆCIPUA. ILLIUS.  
URBE. NARVA. SOLUTA. QVATUOR. MENSUM. OBSIDIONE. ET.  
FUSIS. FUGATISQUE. HOSTIBUS. BARBARIS. REIPUBLICÆ. CHRI-  
STIANÆ. PER. LUTHERUM. REPURGATÆ. NON. SINE. DIVINO.  
AUXILIO. REDDITA. SIT. SECURITAS. UT. IN. PUBLICA. LÆTI-  
TIA. PRIVATAM. TESTARETUR. VOTI. COMPOS. POSUIT.

D. C. Q.

JOS. HENR. OPITIUS



## LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JO. BURCHARDUS MAJUS;

ELOQ. ET HIST. PROF. P.

**I**nter plurima, quæ proximo superiori anno acciderunt, memoratu digna, non postremo loco numeroque habenda est Suecorum à Moscis, Narvam urbem op- pugnantibus, reportata victoria. Cum enim vix unquam tam exigua manus tantas prostraverit copias, nihil fere illa aut nobilius aut illustrius censeri posse arbitramur. Hocque no- mine non solum Livoni, à barbarorum insultibus feliciter liberati, gaudent ac exultant, sed & omnes sin- ceriori religioni addictæ Gentes atque Principes in- credibili quodam afficiuntur lætitia sensu, Deoque, pacis ac belli arbitrio, maximas agunt habentque grati- as, quod magnum illud Christianæ reipublicæ per Lutherum repurgatæ præsidium perfugiumque, CAROLUM XII. ab immanni ac superstitioso ho- ste invictum præstiterit ac vindicarit. Nimirum o- pera Dei extollere gloriosum est, ejusdemque be- neficia æstimare, pius. Quæ quicunque celat alios, & gloriæ divinæ detrahit, & ingratianimi velut mole-

A 2

qua-

quadam beneficentiae fontem obstruit. Neque enim apud homines tantum gratia parit gratiam; sed ipsum etiam cœlestis Numen debitum clementiæ suæ præconiis ad conservanda nobis & augenda bona movetur ac permovetur. Quocirca cum ubique circumsonare audiantur tot gratulantum voces & aplausus, peregrinatus doctissimusque Juvenis, JO-SIAS HENRICUS OPITIUS, Kiloniensis Holtzatus, Optimi Parentis, de Ecclesia pariter atque Academia hac nostra longè meritissimi, haud degener filius, sacrarum & humaniorum literarum studiis apprime florens, tantæ rei fama excitatus & ipse non tam liberalis ingenii stylique excercendi, quam pietatis suæ testandæ caussa orationem quandam à se compositam præterita dierum hebdomade mihi exhibuit, qua DEI liberatoris celebraverat auxilium, Regemque Europæ maximum, tam præclarri facinoris autorem actoremque prædicaverat. Cujus elocutio quoniam admodum perspicua, ornata & in affectata est, quas tres virtutes Aristoteles in civilis sermonis dictione cum primis requirit: autor sua forque ei existi, ut illam in amplissimo doctorum confessu publice solemniterque recitaret. Quare omnes atque singulos bonarum literarum fautores ac patronos obnixe rogamus, ut ad futurum diem XXVIII. Januarii, auspicatissimo CAROLI nomine insignitum, dictuero benevolam audiendi operam navare ne dedignantur. P. P. die XXIII. Januarii, A. O. R. MDCCI.

-SUD

A



I quis unquam annus exstitit vel  
fortunæ varietate, vel eventuum  
magnitudine, vel casuum rerum-  
que ubertate memorabilis ; is  
certe eo à nobis habendus est  
numero , qui sæculo huic decimo septi-  
mo imposuit finem , novique adeo felix  
auspicium auguriumque præbuit. Quæ enim  
rarissime alias , & post multarum demum æta-  
tum intervalla accidisse legimus, ea omnia hic  
quasi concurrere, animisque nostris tanquam  
miranda exhiberi videmus. Etenim quid  
tam est novum , quam belli incendium , in re-  
gionibus hisce nuper excitatum, singulari pro-  
videntia atque clementiâ divina tam brevi  
tempore extinctum prorsus esse ac deletum ?  
quid tam præter morem ac consuetudinem ,  
quam in locum defuncti Pontificis Romani  
Innocentii XII. ad dignitatis illius fastigium

B evectum

iii

ejectum esse virum , vix quinquaginta annos  
natum ? quid tam inopinatum , quam po-  
tentissimum Hispanorum Regem in optimo  
ætatis suæ flore sine prole decessisse , cum eo-  
que universam regiam defecisse stirpem ?  
quid denique tam inauditum , quam unum ex  
Principibus Galliæ , qui regni illius honori ac  
incrementis perpetuo adversati sunt , nomi-  
natum esse successorem ? Ut jam plura alia ta-  
citus præteream , quæ annum hunc multipli-  
ci conversione insignem reddiderunt atque  
illustrem . In primis verò eundem Magno  
Moscoviæ Duci fatalem , Invictissimo contra  
Suecorum Regi faustum accidisse , nemo faci-  
le negabit , qui ea , quæ nuperime in Livo-  
nia cum omnium admiratione gesta sunt , ac-  
curatius aliquanto perpenderit . Quis enim  
vestrum est , Auditores , ad cuius aures non  
pervenerit tristissimus ille de oppugnatione  
urbis Rigæ nuntius ? Quis est , qui ignoret ,  
quantum ibidem sanguinis humani fusum ,  
quantæ cædes factæ , quot desolati pagi , quot  
agri ab hostibus devastati , quot exusta ædi-  
ficia , quot denique incolæ maximis affecti  
sint injuriis ? Cumque unum malum alterius  
plerumque soleat esse caussa , quis est , cui non  
in

in recenti adhuc memoriā hæreat infesta Mo-  
scorum in eandem Livoniā irruptio, acerri-  
maque obsessio præcipuae ejusdem civitatis  
Narvæ? Nihil jam dicam de incredibili barba-  
rorum istorum multitudine; nec commemo-  
rabo maximam tormentorū, quæ secum addu-  
xerunt copiam; tacebo etiam effusam obsiden-  
tium in urbem illam rabiem, quæ omnia satis  
superque demonstrare possunt, quanto in di-  
scrimine ac dimicatione fortunæ tunc fuerit  
Livonia: sed dicam tantummodo de admirandâ  
illâ, quam potentissimus Suecorum Rex à tan-  
to exercitu tam parva suorum manu reportavit,  
victoriâ, quâ non solum Narvam ab obsidione,  
vicos ab excidio, agros à desolatione, domus ab  
incendio, cives ab internecione, ac universam  
adeo Livoniā à subjugatione & servitute, sed  
etiam, quod longe majus est, totam purio-  
rem religionem à maximo, quod ei immine-  
re videbatur, periculo afferuit fortiter ac libe-  
ravit. Iniquum profecto, ne dicam impium,  
foret, si hoc tam egregium, tamque præcla-  
rum Regis facinus in tanta rerum omnium  
exultatione ingrato plane silentio suppressere  
vellemus: iniquum; nisi summo celestique  
Numini pro insolito hoc concessso triumpho  
*in unorigibz en decen-*

decentes ageremus haberemusque gratias;  
iniquum; nisi fortissimo Regi tam gloriosam  
victoriam toto studio gratularemur. Agite i-  
gitur, Auditores honoratissimi, accedamus  
ad victoris pariter victique castra aliquanto  
propius, summum Livoniæ periculum, ac in-  
signem Suecorum felicitatem, foedissimam-  
que hostium fugam animis nostris paulo peni-  
tius contemplaturi. Ego enim, licet adhuc  
juvenis ingenio modico, doctrinâque per-  
quam mediocri sim; non patiar tamen pro-  
meā in Regem pietate, ut lætis passim circum-  
sonantibus clamoribus solus obmutescam.  
Quin potius communilaudis gaudijque voci  
vocem meam, quantumvis debilēm adjungam,  
Dei victoris, Christi liberatoris auxilium ce-  
lebrabo, atque Regem, tantæ rei autorem a-  
ctoremque prædicabo. Quod dum facere ag-  
gredior, unum hoc à vobis, Auditores omni-  
um ordinum honoratissimi, etiam atque etiam  
contendo, ut, si dignitati hujus argumenti ex-  
spectationique vestræ mea non responderit o-  
ratio; id pro singulari vestra æquitate, ætati  
meæ, gravibus ejusmodi rebus pertractandis  
parum idoneæ, condonetis, & hos qualescum-  
que conatus meos solitâ vestra benevolentia  
prosequi ne dedignemini.

Quar-

**Q**uartus jam agitur mensis , ex quo Mosci ,  
pacis foederumque cum Suecis initorum im-  
memores , & invidiâ dirâque dominandi libi-  
dine stimulati , infestis agminibus Livoniam ,  
nihil tale metuentem , invaserunt , Narvam sci-  
licet , quæ ipsis jam dudum fudes fuerat in ocul-  
lis , subjugaturi . Quis quæso , Auditores , illo  
tempore adeo durus , atque ab omni huma-  
nitatis sensu remotus fuit , cui non summa illa ,  
quæ tum Livonos premebat calamitas , ma-  
gnum & acerbum excitaverit dolorem ? Nam  
cum Polonorum Rex obsidione clausam adhuc  
teneret Rigam , jamque vicinum illi castellum ,  
â fluvio Dunanomen habens , occupasset ; ne-  
mo non sentiebat , quanto periculo expo-  
siti essent Livoni , præsertim , postquam ho-  
stem novum præter cæteros trucem , ferum ,  
asperum , & inhumanum , maximis post homini-  
num memoriam copiis , ac incredibili machi-  
narum bellicarum apparatu munitissimum  
propugnaculum suum Narvam petere audi-  
verunt . Neque enim satis huic erat datâ semel  
fide violatâ , aut agros vastare , aut exurere  
vicos : sed quod multo magis metuendum fuit ,  
totam Livoniam suæ subjecere potestati cupie-  
bat .

C

bat .

bat. Id quo efficeret facilius , copiis quan-  
ta fieri poterat, celeritate contraētis, super-  
que pontem, quem in Narva flumine fecerat,  
traductis, inopinantibus omnibus effusi im-  
bris instar superveniebat, & obvia quæque  
abripiebat, delebat, trucidabat. Cumque ni-  
hil impetum ejus remorari amplius posset, ad  
ipsam accedebat Narvam , & castris positis, e-  
ditâque crebris tormentorum ictibus muro-  
rum ruinâ, in ipsam urbem viam sibi patesa-  
cere connitebatur. Quam ut ad ditionem  
eo celerius adigeret, tantam globorum igni-  
torum in eam injectit multitudinem, ut nec ipse  
Comes Hornius, cui defensio illius propugna-  
culi à Rege Suecorum commissa fuerat, tutum  
satis ab incendiis haberet locum. Hic vero vi-  
dissetis turrium nutationem, perforationem  
ædium, obfessorum lamentationes, atq; inde-  
fessum civium ac militum in defendendis re-  
ficiendisque vallis studium. Augebat peri-  
culi magnitudinem impar obfessorum ac obfi-  
cientium numerus. Quod si enim verum est,  
ut vulgo dici consuevit, vel fortissimum  
quemq; à duobus adversariis haud difficulter  
superari: cui non metus, acterror incuteretur,  
cum sibi non adversus duos aut quatuor , sed  
viginti

viginti, sed triginta pugnandum esse videat? Accedebat, quod plane alienissimo anni tempore bellum hoc Livoniae inferretur, extremo scilicet autumno, quo frequentes cœlo demissi imbres incedentium militum vestigia fallunt, & ægrius omnia tardiusq; moventur. Ita enim sibi persuaserant hostes, se effecturos, ut & Rex propter ingruentem hiemem ab auxiliis mittendis deterreretur, & Livonia, si omnem salutis spem ademtam sibi esse cerneret, jugo quamvis durissimo se submittere cogeretur. Nec minorem obsessis culram injiciebat ac timorem summa barbarorum in oppugnando ferocia. Sæpius enim maximo cum impetu nisuque, explosis circiter tribus tormentorum millibus, propugnaculi tentabant ascensum, semper tamen defendentium virtute cum insigni suorum clade fortiter repressi recedebant. Proinde neminem vestrum esse arbitror, Auditores, qui non intelligat, quanto tunc in discrimine atque periculo fuerit Livonia, quamque interspem ac metum amittendorum sacrorum suorum versati sint omnes, quotquot repurgatam per Lutherum doctrinam profitentur. Siquidem nullum est dubium, quin Livoniâ subactâ, il-

2011

lius

lius incolas ad superstitionem suum cultum vi  
traduxisset hostis, sicque nostra religio , quæ  
jam tum in aliis passim regnis ja&eturam fecit  
maximam, longe adhuc ~~majorem~~ fuisse factu-  
ra. Sed obstitit divinum Numen, beni-  
gnusque in rem Christianam fatum , ac uni-  
versum hoc negotium præter omnium opinio-  
nem eo perduxit , ut mœror in voluptatem, e-  
julatus in gaudia, fletus in exsultationem subi-  
to converterentur. Vix enim de vehemen-  
tibus Moscorum insultibus ad potentissimi  
Suecorum Regis CAROLI aures perlata est  
fama, cum is, justo dolore commotus, confe-  
stum in id intendit animum , quemadmodum  
opem ferret pressis, atque una ostenderet,  
quam sibi & religio , & pietas,& communis li-  
bertas curæ cordiq; esset. Summa igitur soler-  
tia bellum suscepturnus classem instruit , con-  
ducit milites , instrumenta bellica navibus in-  
ferri curat, nullisque parcit sumptibus tantæ  
rei gerendæ necessariis. Utque manife-  
stius suam in Livonos declararet propensi-  
onem , ipse, suâ salute pariter atque commodis  
posthabitibus, expeditioni huic tam arduæ tam-  
que ancipiti interesse decernit. O incredi-  
bilem Regis vigilantiam ! ô amorem erga  
*anil.*  
suos

suos prorsus admirabilem. Siccine ergo Rex  
invictissime à periculisissimo hoc instituto  
non Te dimovere potuerunt Serenissimæ Ma-  
tris Tuæ preces, non civium Tuorum obte-  
stationes, non hostium multitudo atque fe-  
rocitas? Ita scilicet visum est supremo Numi-  
ni, ut Tua in primis præsentia ac majestas eos  
perterrefaceret, & castra ipsorum dissiparet, tuis  
vero militibus adderet animum, totique adeo  
Sueciæ innotesceret, quantum in Te Regem,  
quantum patriæ defensorem, quantumque re-  
ligionis habeat assertorem. Magna fuit, fa-  
tetur, quæ audivisti, Auditores, sed his longe  
majora, quæ dicenda nobis restant.<sup>sub</sup> Nimi-  
rum, rebus ex voluntate constitutis, Rex cum  
parte exercitus felicibus auspiciis sub finem  
mensis Octobris concendit naves, easq; post  
quatriiduum ad littus Pernaviense appulit, atq;  
eductis è classe militibus magnis itineribus  
Wesembergium contendit, ibique tamdiu est  
commoratus, donec & cæteri subsequerentur.  
Qui postquam accesserant, suas conjunxerunt  
vires, exercitumque circiter triginta millium  
militum effecerunt. Tum itaque, cum non  
solum copias auxilio sibi missas, sed ipsum e-  
tiam Regem præsentem viderent Livoni, dici

D

non

non potest ; quantum propterea gaudium,  
quanta fiducia apud omnes excitata fuerit.  
Quod si enim exortis subito tempestatibus,  
cum omnia circumfunduntur tenebris , cum  
sæviunt turbines, cum inter imbres & procel-  
las, interque fulmina & tonitrua versandum  
est, ingens homines incessit pavor ac trepidat-  
io; simul ac vero dux & moderator luminum  
Sol splendissimis radiis tranquillam mortali-  
bus serenitatem reddit , incredibili lætitiae  
sensu omnes afficiuntur : quantâ quæso volu-  
ptate perfusos fuisse putabitis afflictissimos ci-  
ves, cum in mediis belli procellis Regium il-  
lud sydus apud se exoriri animadverterunt?  
Non enim ignota ipsis fuit avita Regis fortitu-  
do, quâ ipsum non sustinere tantum hostium  
impetus, sed labefactare etiam atq; infringere  
posse confidebant: non summa ejusdem rei  
militaris peritia, quam non tam ars & institu-  
tio, quam ipsa natura illi concessisse videba-  
tur: non ejus in perficiendis negotiis celeri-  
tas, in tolerandis laboribus constantia, in evi-  
tandis periculis prudentia , in defendendis  
suis amor ac vigilantia singularis, quibus om-  
nibus ad bene sperandum quasi signum ali-  
quod tollebatur. Quocirca rebus omnibus  
pru-

prudenter ordinatis, Rex pro admiranda di-  
vinitusque sibi concessa animi magnitudine  
primo quoque tempore obfessis opem latu-  
rus, confestim cum selecta manu Wefember-  
go profectus est. Neque enim diutius com-  
morandum esse duxit, ne aut hostes augendi  
vires haberent tempus, aut urbs ab iisdem ad  
deditioñem perpelleretur. Itaq; decretis pro  
felici armorum successu supplicationibus, re-  
cta iverunt in hostem, jamq; non longè ab illo  
aberant, cum in angusto, qui propè Pyhojeg-  
gium erat, loco aliquot Moscorum millia ad-  
ventantibus sece opponere, eosdemque tran-  
situ fluvii prohibere conarentur. Sed virtu-  
te Suecorum repulsi tantà celeritate ad alte-  
ram fluminis ripam se receperunt, ut de pon-  
te, quem fecerant, dejiciendo haud cogitan-  
tes satis haberent, si salvi esse possent. Ulte-  
rius ergo progressi Sueci decimo nono No-  
vembris die ad angustias Syllameggianas per-  
venerunt, quas cum ab hostibus desertas vi-  
derent, tanto studio accelerarunt iter, ut post  
multas tandem defatigations vigesimo ejus-  
dem mensis die paulo ante meridiem in ad-  
versariorum venirent conspectum. Atque  
hæc illa lux est, Auditores, quæ à Livonis

tam

tam anxiè erat exspectata: hæc illa lux, quam  
barbari miseris incolis insultantes tam brevi  
affuturam , haud crediderant : hæc illa lux,  
quæ fugatis discussisque omnium calamitatum  
ac ærumnarum tenebris clarissimum liberta-  
tis ac securitatis reduxit lumen. Enimvero  
conspectis procul hostibus adeo animo inci-  
tabatur Rex, ut eos è vestigio tubarum clan-  
gore, tormentorumque sonitu ad prælium  
provocaret ; cunctantes verò ac in campum  
progredi nolentes in ipsis castris licet muni-  
tissimis aggrediendos censeret. Quid agis ô  
Maxime, ô Piissime Régum ? Quodnam au-  
des facinus valde quidem gloriosum, vires ta-  
men excedens tuas ? Tune hostes adorieris,  
non virtute, sed numero, sed opportunitate  
loci, sed aggeribus, sed tormentorum copia  
& magnitudine multis partibus superiores. Tu-  
ne clara luce, nullo dolo, nullo noctis benefi-  
cio usurus nudos munitis, defatigatos integris,  
imo, quod longe majus est, spiritum tuum, à  
quo singulorum dependet salus, tam præsen-  
ti, & vix effugiendo objicies discrimini ? Par-  
ce ô Heros longe fortissime, parce, inquam,  
tuis, parce Tibi, neque prodigus sis vitæ tam  
preciosæ, neque sine maxima totius regni cla-

de

de amittendæ: parce Tibi, & fortunæ cede,  
inque meliora tempora Te conserves. Sed  
veniam des, ô Rex Invictissime! ita agenti te-  
cum, & saluti Tuæ subtimenti. Optime e-  
nimir novi, Te & extrema Livonorum nece-  
ssitate adductum, & divino fretum auxilio  
constituisse aut ab hostibus eos liberare, aut  
fortiter oppetere mortem tam decoram: Tali  
animo, Auditores, Rex prædictus duces ac  
milites suos Gideonis instar adhortabatur, ut  
quodcunque Ipsum patriæ causa fuscipere vi-  
suri essent, idem imitari impigre ne detracta-  
rent. Potenti hac gravissimaque admonitio-  
ne omnes inflammati uno ore acclamarunt, se  
maxima quæque subire pericula, vitamque  
ipsam pro Regis atq; civium suorum salute pro-  
fundere non dubitare. O Regem talibus militi-  
bus, ô milites tanto Rege dignissimos! Ne  
quid igitur viribus suis, sed omnia divino auxi-  
lio tribuere videretur CAROLUS, nullam a-  
liam pugnæ dabat tesseram quam illam; JUVAN-  
TE DEO. Hujus tum præsidio fultus firma-  
tusque, non sine summa & suorum & hostium  
admiratione castra adortus, tantâ fortitudine  
pugnavit, ut brevi ducum militumque suo-  
rum virtute adjutus, primùm Moscorum ag-

E

ge-

gerem expugnaret, & non multo post inme-  
dios hostes fortissimi leonis instar irrumperet,  
illorum agmina atque ordines turbaturus.  
Dici non potest, quantum ibi fusum sit san-  
guinis, cum duæ acies acerrime inter se con-  
fligentes arma armis, sclopos sclopis, enses  
ensibus, tam arcte conjungerent. Ipse vero  
Rex, qui cum tribuno Rhenschildio lævum  
tuebatur cornu, eâ animi magnitudine munus  
suum exsequebatur, ut non pugnanti, sed ru-  
enti similis videretur, nunc instantes pro-  
strando, nunc fugientes insequendo, nunc o-  
pem ferendo pressis, nunc timidos delassatos  
que exhortando. Nulla vis hostium tanta e-  
rat, quam Ille vel prudenti consilio vel stren-  
ua manu non dissiparet: nulla resistentium  
ferocia tanta, quæ constantiam Ejus atque  
pugnandi ardorem infringeret: nulla tam im-  
manis eorundem furor ac rabies, quam non  
invicto animi robore superaret. Certe vel  
ignavissimis quibusque stimulum ingens ad-  
ditum fuisse oportet & calcar, cum ipsum Re-  
gem, ipsum patriæ patrem pro tuenda ser-  
vandaque Livonia sacratissimum caput devo-  
vere, & inter confertiissima hostium agmina  
fulminanti gladio coruscum tam animose tam-

que

que acriter præliari conspexerunt. Quicunque enim huic confictioni interfuerunt, ultro atque ingenue fassli sunt, nullum se aut dum prudentiorem aut fortiorem militem unquam vidisse. Proh DEUM immortalem! quantam Livonis, quantam ducibus, quantam singulis militibus fiduciam attulit tanti Regis præsentia. Neminem quidem vestrūm; Auditores, fugere arbitror, plerosque reipublicæ peritos, ut Rex ipse præliorum discrimina adeat, minime suadere, ne ipso forte pereunte, & universum pereat regnum. Sed vix obtemperandum est in extrema necessitate ejusmodi prudentum consiliis, minime alias spernendis, neque extraordinaria pericula communi vulgataque ratione possunt propelli. Ponite quæsto ante oculos tam Suecorum quam Moscorum exercitum, atque omnia penitus penitusque considerate. Quis ducum ausus fuisset tantillas copias objicere tot hostibus tanta industria circumvallatis? imo, quis illorum, ut hoc fieret, suafisset alteri, neque veritus esset, ne clade accepta malum ingens ad se redundaret? Quis ducum tanta autoritate reliquis ducibus imperare, militum inflammare animos, prælium accendere, pugnam

nam ciere potuisset? Multa sane, imo pluri-  
ma invictissimo CAROLO propria in hoc  
prælio, neque cum ullo ducum militumque  
communia fuerunt. Solus is quippe effecit,  
ut summa inter duces esset concordia, atque  
una quasi voluntas voluntati Regis dedita at-  
que subiecta. Solus tanti facinoris exstitit au-  
tor, & ut illud strenue susciperetur, solus ve-  
neranda majestate sua perfecit. Solus fortio-  
ribus maximo fuit incitamento, ut ante ocu-  
los Regis aut vincere aut mortem occumbe-  
re egregium pulchrumque dicerent. Solus  
aliis spem attulit certissimam, fore, ut meri-  
tis olim afficerentur præmiis, cum Regem  
ipsum æquissimum fortitudinis haberent spe-  
ctatorem ac testem. Solus timidioribus aut  
pudorem incutere potuit, ne Regem patrem-  
que patriæ desererent; aut metum, se gravissimam pœnam, ni fortes se præberent, datu-  
ros. Quæ quamvis ita fese habeant; non ta-  
men strenuissimi duces militesque sua omni-  
no laude sunt defraudandi. Quemadmodum  
enim gloriæ occupavit culmen, qui solus  
magnæ rei existit autor & dux: ita honore  
secundi atque proximi sunt habendi, qui sa-  
luberrimis aliorum consiliis modeste obtem-

pe-

perant, & exemplum superioris imitando, sapi-  
enter ordinata fidelissime exequuntur. Nolo  
hic meritis laudibus impertiri duces bellicosif-  
simos, quorū alii aut ad Regis latus aut ante ag-  
mina sua extincti, immortalem post mortem a-  
depti sunt gloriam; alii vero singulari Numinis  
beneficio adhuc vivunt, & ita vivunt, ut incre-  
dibili fortitudine omnium mentes oculos-  
que in se convertant. Illustria quoque Nobis-  
litatis decora, qui fidelem utilemque Regi  
navarunt operam, silentio jam prætereo, si  
modo fas est tantos filere viros, quorum &  
propriam & à majoribus acceptam, hac vero  
pugna magis illustratam gloriam famamq; no-  
stra non tantum ætas, sed omnis posteritas lo-  
quetur ac prædicabit. Pariratione, quæ à mili-  
tibus strenue fortiterque gesta sunt, tacita re-  
linquo, & abunde sufficere arbitror testimoniu-  
m ab ipso hoste perhibitum. Ducum e-  
nim captivorum, nescio quis, ingenue palam-  
que confessus est, se, cum tot interfuerit præ-  
liis, nunquam tam vehementem tamque fero-  
cem oppugnantium vidisse impetum, & an-  
tea se decertasse cum hominibus, nunc vero  
immanes leones ac tigrides esse expertum.  
Tanti, tanti nimirum est Regem adesse exer-

F

ci-

citui, imo ante signa suorum incedere, atque  
cunctos ad præliandum excitare. Talibus  
ergo ducibus militibusque Rex contra ho-  
stem ductis intra trium, an quatuor horarum  
spatium quadruplicem hostium numerum  
profligavit, adeoque perterrituit, ut non sen-  
sim cederent, sed incitato jam cursu terga  
verterent. Quæcunque patebat ad fugam via,  
hac metu dissipati erumpabant, atque sua,  
quæ paulo ante ad tutelam corporis sumse-  
rant arma, turpiter projiciebant. Alii sese re-  
cipiebant Ivanogrodium, alii saltus & igno-  
tas sequentibus latebras petebant. Plerique,  
cum hostis urgeret, ponte tanto oneri ceden-  
te, in fluvium præcipitabantur, adeo, ut quos  
non absumperat ferrum, gurgitibus hauri-  
rentur. Reliqui, quorum ingens adhuc erat  
multitudo, depositis armis, supplices Regis  
elementiam implorabant. Et fane tanta vi-  
ctoris erga victos erat moderatio, ut illico il-  
lorum concederet precibus, hac tamen lege,  
ut arma & signa sibi traderent. Egregium  
profecto spectaculum erat, ac miraculo simili-  
limum, cum tot duces ac milites nudis capi-  
tibus incederent, eumq; juvenem Heröem in-  
clinato corpore suum venerarentur triumpha-  
to-

torem, cuius antea irriferant ætatem, quemque avitis provinciis spoliandum esse censuerant. Quid? quod ipse Crojus, quem Magnus Moscoviaæ Dux cum summo imperio exercitui suo præfecerat, una cum prætore Weydio, nec non supremo operum bellicorum architeeto Allardo, & Polonorum Legato, Comite Langio, aliisque tribunis, quos omnes hic enumerare & nimis longum, & tædiosum fortassis foret, unius gratiæ se permiserunt. Quæ victoria ne sine spoliis esset, tantum exuviarum, armorum, tormentorum, manubiarumque in castris relictarum à Suecis collectum est, ut eorum vix iniri queat numerus. O rem inauditam! ô triumphum ad omnem posteritatis memoriam insignem! Abibant hostes, vana virium fiducia antea elati, nunc verò fracti animis, magno cum dedecore; excedebant cum pudore, evadabant cum paleore, erumpebant cum ignonimiâ, & fugiendo Suecis victoriam triumphumque relinquebant. Nimirum vicerant hi DEO vindice, iustitiaq; causæ freti, fortiter resistendo insistero doque cedentibus, & nunc cunctorū applausu lætantur, exsultant, triumphant. Jamq; Narvam abactis hostibus ubique fama, nec illa mendax,

sed

sed veracissima apud omnes Europæ populos extollit. Audit Polonia, & obstupescit; percipit Anglia, & gaudet; cognoscit Belgium, & applaudit; credit Cimbria nostra, & admiratur; soli Mosci fremunt, indignantur, & ingemiscunt, quod pro honore opprobrium, pro gloria contemptum, pro victoria cladem, pro triumpho denique ignominiam reportarunt, Livonisque durissimum servitutis jugum imposituri, post quartum obsidionis mensem turpissimam arripuerunt fugam. Surgite hic certatim excelsa ingenia, &, quibus præclare gesta in annales referre datum est, hoc tam insigne, tamque stupendum facinus posteritati memorate! Neque enim hoc tale est, quod ingrato silentio premi, sed quod celebrari omnino apud omnes debet, idque eo magis, quo certius constat, hanc victoriam non tam humanis viribus, quam præsentipotentissimi Numinis auxilio esse adscribendam. Etenim si numerosissimi hostis rationem habere voluissemus, quis nostrum, Auditores, fuit, qui non Moscis potius quam Suecis tribuisset palmam, totamque adeo Livoniam amissam deperditamque judicasset. Sed solius DEI providentiae singulari accepta

hæc

hæc referenda sunt, quippe quæ barbarorum  
retudit impetum, inque militum animis oc-  
culata quadam vi pugnandi ardorem vincen-  
dique cupiditatem accedit. Pariter, quod  
Livonia maximo discrimine atque periculo  
erepta est, solius DEI tribuendum est provi-  
dentiæ singulari. Hac tu freta, ô pugnacissima  
Narva, irruentes hostes à muris vallisque tu-  
is propulsasti strenue, eorumque machinatio-  
nes atque insultus soluta tandem obsidione  
feliciter superasti. Quis, quæso, effecit, ut  
adventantes Mosci initio te obsiderent poti-  
us, quam summis statim viribus oppugnarent,  
eoque moram tibi perquam salutarem trahe-  
rent, donec prolapsæ munitiones tuæ refice-  
rentur, tormentorumque sedes exstrueren-  
tur altius ac firmarentur? quis, nisi DEUS, po-  
puli sui curam gerens? quis Regis animum  
flexit ac permovit, ut, non dicam, missis co-  
piis suppetias tibi ferret, sed ipse relicto Re-  
gno in auxilium advolaret? quis, nisi ille  
DEUS, in cuius potestate Principum animi  
sunt? Quis sub ipsam hostilium castrorum op-  
pugnationem tantam nivium cœlitus demis-  
sit vim, ut hostibus adimeretur prospectus,  
quo minus Suecos jam sibi imminentes obser-

G

va-

varent? quis, nisi præpotens ille DEUS, qui  
scelera mortalium ulturus, nubibus insidet  
tanquam currui, & nive, pluvia, ac igne uti-  
tur administris? Quis arrogantissimis hosti-  
bus trepidationem incussit? quis eosdem in  
fugam ignominiosam conjecit? quis ingen-  
tem illorum multitudinem in profluentem  
præcipitavit? quis? amabo, quis? nisi ille,  
quo exsurgente dissipantur inimici ac disper-  
guntur? Hic, hic, inquam, defensorum ac  
propugnatorum tuorum vires supra morem  
adauxit, & generositatem in ipsorum pecto-  
ribus supra fidem excitavit. Hic invictissi-  
mum CAROLUM tuum inter tot infensa ag-  
mina, micantesque gladios, interque tot tor-  
mentorum fulmina, & tantas circa ipsum ca-  
dentium catervas, protexit, servavit, salvum-  
que præstítit. Testem hic posterorum, imo  
etiam hodie viventium fidem appello. Quis  
credet, octo duntaxat cohortes, quæ vix  
octo militum millia explebant, supra octo-  
ginta Moscorum millia fortiter pugnando su-  
stinuisse, imo tandem in fugam avertisse,  
qui inani virium suarum confidentiâ freti, fu-  
gare omnes se posse, nimis arroganter sibi per-  
suaserant. Fuit hic divini Numinis favor ac be-  
nigni-

nignitas, quæ sane in toto hoc negotio miris  
se modis luculentisque signis conspicien-  
dam præbuit. Quæ cum tanta sint, ut omni-  
um exspectationem ac pene fidem superent,  
quid æquitati, quid pietati, magis consentane-  
um est, quam ut grato animo hæc tam immen-  
sa beneficia agnoscamus, Deoque Optimo  
Maximo ea, qua par est, reverentia agamus  
gratias? Age igitur, Livonia, age Suecia, a-  
gite, quotquot Regi CAROLO aut subestis,  
aut bene cupitis, provinciæ, inflate buccinas,  
cantate carmina, & nervorum vocumque can-  
tibus triumphi hujus autorem DEUM laudate,  
extollite, celebrate. Nos quemadmodū una re-  
ligione vobiscum sociati, tanti beneficii magni-  
tudine non minus Deo nos obstrictos devin-  
ctosque agnoscimus; ita vestris nostras quo-  
que voces jungimus, ac Te DEUM immorta-  
lem laudamus, Tibi Christe Servator gratias  
agimus, sentiendo quidem copiosius, quam lo-  
quendo. Tureipublicæ tuæ laboranti consului-  
sti, Tu populum tuum servasti, Tu templis atq;  
altaribus tuis opem tulisti. Nostra salus, tua  
est laus; nostra securitas, tuus honor; nostra  
lætitia, tua gloria. At enim dicetis, Auditores!  
Nihilne ad barbaros fugandos profuit sa-  
gacissi-

gacissimi; & ad omnem casum promptissimi  
Regis providentia; nihil labor in negotiis, ni-  
hil fortitudo in periculis, nihil industria in a-  
gendo, nihil denique celeritas in conficien-  
do? An frustra exercitui suo præfuit invictus  
ille CAROLUS, frustra adversariorum castra  
adortus est, frustra adeo fortiter dimicavit,  
frustra hostem in fugam egit? Minime gen-  
tium. Etenim, si verum est, de quo nemo du-  
bitat, cœleste Numen vix ulla hodiè supra na-  
turæ ordinem ac vires perficere miracula, sed  
omnia rerum ab se conditarum, in primis vero  
hominum ope ac ministerio agere: quis vel  
**ex** hoc non intelligit facile, quantum digni-  
tatis, quantum venerationis, quantumque præ-  
rogativæ tribuendum sit fortissimo CAROLO,  
quod non casu aliquo, sed ipsius Dei nutu ac fa-  
vore singulari ad tanti negotii administrationē  
non factus, sed natus esse videatur? Dudum  
scilicet prævidit divina mens, quanta in Ipso  
futura esset pietas, quanta sinceroris religio-  
nis defendendæ cura, quantus erga cives suos  
amor, quanta in rebus omnibus solertia,  
quanta fides, quanta animi generositas, quanta  
humanitas, ut adeo mirum nemini videri que-  
at, hunc CAROLUM verè Magnum à DEO  
electum

electum esse ad tantos tamque magni mo-  
menti res perficiendas, i quibus majorum  
fuerum gloriam adhuc dum juvenis adæqua-  
ret. Jactent nunc regna alia fortissimos, quos  
aluerunt Principes; extollant Athenæ Miltia-  
dem, quem Marathonia pugna reddidit im-  
mortalem: mirentur Epaminondā Thebæ, qui  
moriendo victoriam suis reliquit: innumeris  
laudibus efferat Alexandrum suum Macedo-  
niā, quem virtus atque felicitas fecere Mag-  
num: sempiternæ gloriæ commendet Hanni-  
balem Carthago, qui maximo terrori ipsis fuit  
Romanis: collaudet suum Cæsarem Roma,  
quem fortitudo ad summum imperii fastigi-  
um evexit: Tibi ô Suecia, divino munere  
contigit, quod nescio an ulli genti, ut ex Te  
& pietatis maxime studiosi, & prudentissimi,  
& fortissimi Reges atque Duces semper pro-  
cesserint. Non jam in remotiora sœcula vos  
remittam, Auditores, nec commemorabo  
plures Carolos, Tordones, Ericos, Gothari-  
os, & reliqua magna magnorum Heroum no-  
mina: ad eos tantummodo provoco, quos  
CAROLUS Noster vel sanguine contingit,  
vel inter Majores Parentesque numerat. In  
quibus quam maxime togæ bellique artibus

H

emi-

eminiuit **GUSTAVUS ADOLPHUS**, Princeps pietate, justitia, prudentia, animique magnitudine & constantia insignis, cuius stupenda facinora non minus pro salute patriæ, quam religione incredibili fortitudine pariter ac felicitate patrata, atque summorum ingeniorum præconiis, monumentisque publicis æternitati jamdudū consecrata meam prædicationem haud requirunt. Nec minorem apud posteros laudem consecutus est CAROLUS GUSTAVUS, illius ex sorore nepos, maximus Polonorum Moscorumque terror, eo in primis nomine inclutus ac celebratus, quod uno tempore sex potentissimorum hostium impetus sustinuerit. Et quid dicam de Regis Nostri Genitore CAROLO XI? quid de summa, quæ in Illo fuit belli peritia? quid de admiranda laborum tolerantia? quid de indefessa fortitudine? quid de victoriis proprio ipsius ductu ab hoste reportatis? Testes vos appello, qui aut res ab Illo gestas legistis, aut Illum vidistis vivum, acerbissimumque ac præmaturum ejus obitum tacito adhuc dolore prosequimini? Vos, vos, inquam, appollo, quibus faciem majestatis plenam, atque fortiter suscepta administrataque bella intueri

pro-

propius, & admirari licuit: Vidistis ne un-  
quam Regem aut ad pericula pro suis adeunda  
paratiorem, aut qui cum pluribus, iisq; diversis  
ac potentissimis hostibus uno eodemque tem-  
pore acrius vehementiusque depugnaverit?  
neminem, puto, vidistis. Quæ cum ita sint,  
Auditores, quid mirum, si ex tam fortibus a-  
quilis non imbellis prognata fuerit columba?  
quid mirum, si in uno CAROLO XII. univer-  
sa illa possideat Suecia, quæ in singulis amise-  
rat? Vultis pietatem? aspicite CAROLUM;  
vultis fortitudinem? aspicite CAROLUM;  
vultis animi magnitudinem? aspicite CARO-  
LUM; et, ut paucis multa complectar, vultis  
perfætissimum virtutum omnium exemplar?  
aspicite CAROLUM. O gloriosum, ô salu-  
tare, ô gratiosum Suecis nomen! Quis proinde  
illos non felices diceret, quibus sub ejusmodi  
Regis imperio tutis esse licet? quem ipse DEUS  
ad id videtur finxisse, ut salutem ipsorum at-  
que commoda procuraret, eosdemque ab in-  
juriis, & incurrentium hostium impetu defen-  
deret? quis non beatos prædicaret Livonos,  
qui ejusdem CAROLI auxilio & virtute ab in-  
fests Moscorum insultibus liberati, in certif-  
simam spem pristinæ tranquillitatis propedi-  
em

em recuperandæ adducuntur. Quanta vero  
Tibi, ô Rex Invictissime, CAROLE, debetur  
gratulatio, quod tanta cura, tanta vigilantia,  
tantaque promptitudine sine auxilio externo,  
domestico tantum subnixus milite, hostem  
tam validum, tamque numerosum propulsas-  
isti strenue; quodque omnium opinione ce-  
lierius cives tuos incolumes, Narvam ab obsi-  
dione liberam, Livoniam ab exitio tutam, i-  
mo ipsam puriorem religionem à corruptelis  
immunem illibatamque præstitisti. Servet  
Te ac tueatur divina Majestas in perennem  
regni Suecici gloriam, reique publicæ Chri-  
stianæ emolumentum & incrementum: stabi-  
liat solium Tuum, inter Europæa regna nulli  
nec amplitudine, nec robore facile conce-  
dens: confirmet contra fraudulentas inimico-  
rum machinationes imperium Tuum: pro-  
speret cœpta tua pace belloque: fortunet ar-  
ma Tua, & non nisi sero ad splendidius illud,  
nullisque vicissitudinibus obnoxium cœlo-  
rum regnum, unde ortum trahis, Te evehi  
patiatur. Te quippe salvo, salva erit Suecia,  
salva Livonia, salva Ecclesia, salvi quotquot  
salutem ac felicitatem Tuam amant,  
desiderant, exoptant.

Pon Ye 3656  
20

ULB Halle  
001 500 848

56.

D

anew

VON 17

1018 772





13

ORATIO.

# CAROLO.XIII.

REGI. SVECORUM

INVICTISSI

OB.LIBERATAM. AB. OBSID  
ET. REPORTATAM.

VICTORIA

DICTA.

A.

JOSIA. HENRICO.

HENRICI. FIL

IPSO. DIE. CAROLO.

SACRO.

A. clo Is ccl.

KILONI.  
LITERIS. BARTHOLDI. REUTERI. A